

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCXLVII.

*Salutem in Jesu Christo. Reverende & clarissime**Vir, Domine & frater honorande.*

Literas tuas amicissimas accepi. Doleo autem ex animo vicem Reipublicæ Vestræ, quod Magistratus officium non facit, in promovendo pietatis negotio. Sed gratias ago DEO, quod inter nos pius & sanctus est consensus. Quem ut Dominus porro etiam conservet, oro. Et spero etiam, si Elector Palatinus serio negotium hoc susceperit, futurum, ut etiam vicinæ Ecclesiæ accedant. Utunque autem cadat, veritas est, cui si quis testimonium perhiberi nolit, in novissimo die mendacium ipsum non defendet. Saxonix Elector strenuè procedit, nec patitur sese quidquam ab instituto detertere. Dominus JESUS eum nobis diutissimè incolumenti conservet: amen. Ego ad mortem usque laboro, & credo, me in barba mea plures habere canes, canes inquam latrantes, quam tu. Hæc Aquilæ in me Juventus est. Nec me quidquam ab instituto detereret. Etsi ejusmodi mihi accidunt, quæ fortassis alius non superaret. Domini opus est, non meum, cuique soli gloria in omne ævum, Amen. Unum est, quod ad te scribere cogor. In Salzensi Conventu Principum proximo Hassiacus Theologus coram Landgravio Wilhelmo, dixit, me injuriam facere Philippo Melancht. narratione historiarum, quæ acciderunt sub finem Colloquii Wormatiensis, anno 57. in hypocausto Domini Brentii, postquam Theologi Vinarienses discesserunt. Dixit D. Brentius Philippo: Res plena offendi- ciali est, si hinc discesserimus, sine testimonio consensus. Ideo oro, D. Philippe, ut aliquot Articulos conscribatis. Cui D. Philippus: Nolo. D. Brentius ait; Cur? Philippus: Quia non placet. D. Brentius iterum: Volumus ergo renovare consensum, qui est factus inter Suevicas & Saxonicas Ecclesias, vivo Luthero, Anno 36. Cui Philippus: Nolo. Cur, inquit Brentius? D. Philippus: Quia non placet. Inquit Brentius: D. Philippe, tamen vos scripsistis illum consensum. Philippus; Ego scripsi aliorum non meam sententiam. Interloquitur D. D. Matthæus Alberus: D. Præceptor, tamen vos etiam subscripsistis; Responder Philippus: mi Matthæe; Ego multa scripsi, quæ mihi jam non probantur; putatis, me intra triginta annos nihil profecisse? Hæc meis auribus audivi, & diligenter tum annotavi. Sed Pistorius dicitur contrarium affirmare. Cum igitur tu actioni interfueris, per Christum te oro, ut testimonium veritatis perhibeas pro conscientia, ut possim hominis impudentiam refutare. D. Peucerus, gener Philippi, nuper ad Electorem Saxonix scripsit, Philippum Melanchthonem focerum suum nunquam cum D. Luthero de Cæna Dominica consensisse. Quid tibi videretur de illo? Manum ejus vidi & adhuc mecum habeo. Nunc Onolzbachium procedo, ut ibi quoque Regimen Ecclesiasticum constituatur, sicut in Electoratu Saxonico factum, ad eam formam, quæ in Ducatu Württembergensi fere ad 30. annos observata est. Inde Stutgardiam, ad me-

um

A. 1578.

PARS QUARTA

131

um Principem & meos Tubingam; Ubi cum res meas disposuero, Schmalcaldiam eo, ad Colloquium cum Palatini Electoris Theologis instituendum, de libro Concordiæ. Sicut cum Hassiacis in Langensalzen, & cum Anhaltinis Hertzbergæ nuper factum est. Quibus cum oculariter demonstratum sit, nullum dogma impium in libro Concordiæ contineri, quod Hassiaci confessi sunt, spero eos quoque vel tandem ad nos accessuros. Ego hic multorum odia iniquissima sustineo, & in periculis versor maximis. Sed Dominus mihi hæctenus affuit sua gratia & porro affuturum censeo. Bene & fœliciter vale. Raptim Lipsiæ 2. Septembris, 1578.

Meo nomine reverenter D. D. Grempium salutabis, & cum ipso amice exoptulabis, quod non majori studio negotium Concordiæ apud Magistratum promoverit. Iterum vale. Collegio Vestro sancto, uxori, filio Erasmo, nomine meo etiam amicissimam salutem ut dicas, oro & rescribas. Literas Stutgardiam mittas D. D. Osandro &c. apud quem divertam, cum Stutgardiam venero.

Tuus ex animo frater

Jacobus Andreæ, D.



CCXLIX.

Salutem & gratiam in Domino Jesu Christo

Salvatore nostro.

SCRIPSI nuper ad H. tuam, venerande Domine Doctor, de rebus Heidelbergensis Ecclesiæ & meis quoque: & nunc hac quadrante hora, imò hoc momento, quo denuò scribere volo, responsum tuæ H. & Domini Thomæ recipio, idq; cum magna gratulatione & gaudio. Nostræ verò res nunc ita habent. Etsi visâ fuerunt omnia ~~diagnosticis~~ instituta, quò ad dijudicationem libri Concordiæ, pastoribus Palatinatus mandatam, tamen DEUS exitum dedit satis fœlicem. Propositio hæc duo continuit, (1) ut dijudicarent scriptum propositum sine omni affectu & sine respectu cujusquam personæ. (2) ut dicerent sententiam suam: subscriptionem ne suaderent aut disuaderent Electori? Ego autem antequam descenderem ad nundinas, aliquot pastores vidi & colloquutus sum cum eis de summa negotii, eosque ad faciendum ex conscientia officium magnopere sum exhortatus. Fecitque etiam DEUS, ut Dominus pastor, Doctor Wilhelmus, toto illo tempore hîc relinqueretur, potueritq; per occasionem cum vocatis pastoribus conferre. Legerunt igitur illi librum & non solum vehementer approbarunt, sed etiam protestati sunt, se nunquam aliter sentire & docere potuisse, aut in posterum per Dei gratiam velle. authoresque sunt Electori,

Dddd 3

ut